

## AUG. WILH. ZUMPTII DE MONUMENTO ANCYRANO SUPPLENDO COMMENTATIO.

**I**ndicem rerum a se gestarum, quem Caesar Augustus sepulchro suo inscribi iussit, cuius exemplum interpretatione Graeca ornatum in reliquiis Augustei Ancyrani superest, sive monumentum Ancyranum quod appellatur, cum ante hos quattuor et viginti annos ederemus duce Joanne Franzio, et temporum angustiis et editionis susceptae consilio et praesidiorum, quae aderant, tenuitate prohibebamur ea, quam ipsi impendere cuperemus, cura emendare emendatumque hominibus doctis offerre. Etenim absolutum suum libellum ad nos attulerat Franzius, in quo si quid haberemus, quod vel supplendum vel corrigendum esse videretur, adicere iubebat. Quem ut examinavimus, etsi quantum requireretur non dissimulabamus, amico tamen roganti deesse noluimus. Subsidiis quasi loco dicebat esse Latina, agi imprimis de Graecis, quae ne trunca relinquerentur, et Latini exempli reliquias, quae extarent et si quid interpretandi causa nostrae aetatis doctrina invenisset, accedere cupiebat. Fama etiam percrebruerat, tabulas ipsas ita vetustate iam esse corruptas, ut nulla integrioris lectionis spes superesset. Itaque praeter interpretationis Graecae reliquias nuper repertas nihil ad verba restituenda habebamus auxilii neque studia epigraphica tunc quidem tanta erant apud nos quanta hodie esse videmus. Nam pauci ea curabant, pauciores intelligebant, ipsa etiam imperatorum Romanorum historia tamquam aliena ab libertatis humanitate fere contemnebatur. Sic ad eorum, qui olim descripserant, vel negligentiam vel inscitiam nostraque ipsorum redacti studia aliquantum tamen videmur profecisse, ut nobilissimum antiquitatis monumentum non modo auctius atque emendatius quam antea fuerat exhiberemus, sed etiam commentario, cuius ne nunc quidem poenitet, illustraremus.

Verum haec, quae inscriptionum Latinarum studia mire excitavit, aetas etiam huic, qua nulla est praestantior, insperatam prope lucem attulit, quantumque studio, quantum diligentia, quantum denique sumptibus effici posset, apertissime ostendit. Etenim cum alii artis nostrae longe peritiores homines et Latina et Graeca descripserunt, tum Napoleonis III, Francorum imperatoris, iussu Ancyram adierunt Georgius Perrot et Edmundus Guillaume hoc mandato, ut imperatoris Romani titulum omni, quae adhiberi posset, cura excriberent. Qui cum non solum ea, quae paterent, examinassent, verum etiam partes aedificiorum rudibus olim tectas aperuissent, cum versus religiose observarent, litterarum spatia notarent, ipsos apices eorumque quae perisse viderentur, levissima vestigia scrutarentur, nihil denique, quod hodie in arte epigraphica requiri didicissent, omitterent,

accuratissimam totius monumenti et Latini et Graeci imaginem effecerunt, in qua vix quidquam desideres. His aliisque copiis usus est Theod. Mommsenius commentarioque amplissimo adiecto verba Augusti et Latine et Graece composuit, supplevit, explicavit. Quibus tantis studiis plurimum nos ad eximium hoc antiquitatis monumentum intelligendum profecisse laetamur. Lacunae enim relinquuntur iam paucae, verba fere rite procedunt, eruditionis vis ingens congesta est, quae multorum industria peperit, in brevem conspectum coacta exhibentur. Veruntamen qui perfecta omnia esse putabunt nec superesse, in quo virorum doctorum opera elaboret, ne illi videant, ne communis hominum debilitatis obliviscantur difficultatemque antiquarum litterarum plus iusto extenuent.

Etenim fortuna, quae Augustum ipsum cum libertatem everteret imperiumque diuturnis bellis laceratum componeret, eximie adjuverat, mortui memoriam prope extinxit, ut, cum olim scriptores uberrimi eius historiam exposuerint, hodie praeter Cassii Dionis libros duobus saeculis post conscriptos Suetoniique narrationem accuratam illam quidem, sed brevem tamen mancamque vix quidquam, quo imperii Romani initia illustrentur, extet. Nec dubium est, quin Augustus ipse rerum suarum testis sit omnium locupletissimus. Nam cum eo cuique magis credi oporteat, quo quisque ab iis quae tradit, propius absit, certe, si quis quae gessit, idem scripserit, verissime videbitur narrare: qui si quid consilii tecti habeat, quo res suas vel aequalibus excusare vel posteris commendare cupiat, id facilius aperietur quam in auctoribus longo temporis spatio remotis, in quibus odia studiaque ut sunt fortasse minora, ita vestigiis levius impressis persequare. Augustus autem haec extrema senectute cum hominum cupiditatibus dudum superatis ab vitae exitu non procul se abesse sentiret, composuit nec causas rerum suaeque consilia addidit, sed nudum indicem confecit, quem qui legeret, qualis ille, qui tot tantasque res gessisset, vir fuisset, ipse iudicare iuberetur. Incredibili idem usus est moderatione eaque verborum simplicitate, ut, quicquid tradit, utique factum esse persuadeat. Quo in genere longe haec ab Asiaticorum regum titulis distant, quos cum legimus de victoriis, de captarum gentium numero, de tributorum magnitudine gloriose praedicantes, aegre credimus, certe non in historiae luce ac veritate, sed in laudationibus servili adulatione corruptis versari nobis videmur. Ab illa vanitate alienissimum esse apparet hoc monumentum, quod veterum principum Romanorum titulos imitatur, veluti eum, qui in columna rostrata fuit, a cuius inculta oratione non longius recedit quam quantum suae aetatis elegantia postulabat.

Quae cum ita sint, duae res intelliguntur prope inter se contrariae, et quantum hinc utilitatis ad reliquorum, qui de iisdem rebus tradiderunt, fidem examinandam redundet et quam facile tamen fieri possit, ut aliorum auctorum, qui uberius narrarunt, testimonia discrepare videantur. Quod ubi fit, quoniam Augusto ipsi merito maxime creditur, qui minus diligenter attendunt, eo solent devenire, ut reliquos contemnant, hunc unice laudent. Hinc magna quaedam interpretandi difficultas existit, qua ipsa qui nec reliquos temere errare et Augustum suas rationes sequi potuisse intelliget, ad novas quaestiones instituendas rerumque causas penitus perspiciendas adducetur. Sed haec taliaque hoc tempore persequi nolumus neque id agemus, ut Dionem Cassium tueamur aut Suetonium defendamus aut Augustum, quamvis sua sibi propria habeat, verissime tamen narrare doceamus: quae interpretandi provincia nisi verbis ipsis restitutis quid quoque loco



Augustus et quomodo dixerit, certa quadam ratione intellexerimus, commode administrari non poterit.

Ante omnia autem faciendum esse putamus, ut lacunae, quas etiam nunc nonnullas relinqui diximus, recte expleantur. Earum maxima et olim fuit et hodie est in exitu primae tabulae, in quo cum nec Graecum exemplum extaret et Latinum paulatim ita deficeret, ut in extremis versibus prope nihil, eorum quae antecedunt, paucae ac dispersae litterae superessent, ne divinationi quidem ullus locus fuerat. Nunc de Latinis quidem non plura prodierunt, sed Graecorum reliquiae detectae sunt satis magnae, ex quibus quae Augustus scripsit, probabili coniectura effici liceat. Verum quoniam coniectura opus est neque eorum, quae tradita sunt, certa necessitate regimur, dissensio etiam nascitur neque eam non feret ipse Th. Mommsenius, qui cum in nobilissimo monumento restituendo cum tanta cura elaborarit, quicquid ad emendandum rectiusque intelligendum pertinebit, aequo animo accipiet. Fatetur autem eum, de quo disputaturi sumus, locum totius monumenti esse difficillimum eundemque ad potestatem honoresque imperatoris perspicandos momenti maximi, neque eum sibi ita videtur restituisse, ut non plura prope relinquuntur dubia: partem certe non ausus Latine explere Graeca tantum aliquatenus reconcinnavit. Nos quidem totum locum et Latine et Graece suppleri supplementorumque, si Suetonii et Dionis Cassii auctoritates recte adhibeamus, eam rationem reddi posse censemus, ut unum fortasse vel alterum Augusti verbum incertum relinquatur, sententia controversa esse non debeat.

Incipit autem Caesar Augustus rerum suarum ordinem ab iis, quae exeunte anno 44 a. Chr. cum patris caedem ulcisci statuisset, gessit, tum bella civilia, triumphos, consulatus tredecim, tribuniciam potestatem commemorat. Sequitur lacuna illa, de qua dicturi sumus, quam excipit mentio triumviratus reipublicae constituendae, principatus, sacerdotiorum. Quare etiam quae coniectura supplenda sunt, ad honores, quos senatus populusque decreverit, pertinere existimabimus. Ea igitur Mommsenius Graece (nam Graecorum maiores quasdam particulas superesse diximus) sic restituit:

Ἀντεξούσιόν μοι ἀρχὴν καὶ ἀπόντι καὶ παρόντι  
 διδομένην ὑπὸ τε τοῦ δήμου καὶ τῆς συνκλήτου  
 Μάρκου [Μα]ρκέλλου καὶ Λευκίου Ἀρρουντίου ὑπάτοις  
 οὐκ ἐδεξάμην. Οὐ παρητησάμην ἐν τῇ μεγίστῃ  
 τοῦ σίτου σπά[ν]ει τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἀγορᾶς, ἣν οὐ  
 ποιησάμενος ἀμελῶς [ἐ]ν [ὀλίγ]αις ἡμέραις τοῦ παρόντος  
 φόβου καὶ κινδύνου ταῖς ἐμαῖς δαπάναις τὸν δῆμον  
 ἤ]λευθέρωσα. [Υ]πατείαν τέ μοι τότε διδομένην καὶ  
 ἐνιαύσιον κα[ὶ] διὰ] βίον οὐκ ἐδεξάμην.

Latina autem, ex quibus paucae ac disiectae litterulae supersunt, idem sic reficit:

Dictatura]m et absent[i] et praesenti mihi datam a senatu populoque M.  
 Marce]]llo et] L. Ar[runtio] consulibus non accepi. Non recusavi in summa  
 frumenti p]enuri]a curam annonae, qua non negligenter facta meis  
 sumptib]us [met]u et pe[ri]c[ulo] praesenti populu]m univ[ersum] paucis  
 diebus liberavi. Tum] con[sulatum] mihi datum et a]nnum [et] perpetuum  
 non accepi].

Haec supplementa quin reiicienda sint longeque ab Augusti sententia recedant, non est dubium. Nam, ut primum de verbis ipsis dicam, quid est illud, quod prudentissimus ac diligentissimus imperator gloriari iubetur, se curam annonae non negligenter administrasse? Egregia sane illa laus, non fuisse negligentem, quasi in reliquis magistratibus vel honoribus negligentiae culpam facile admiserit. Tum ut curam annonae omittam diligenter factam, quod vix Latinum aut Graecum est, quomodo placere potest, quod Latine ait non recusasse se curam annonae, quasi debuerit recusare magnaue in eo laus posita sit, quod non recusarit? Immo plane significari oportet receperitne curam annonae sibi delatam an non receperit. Tum si a verbis ad res veniamus, vereor ut inter se congruant, quod se et curam annonae recepisse et suo sumptu annonam sublevasse dicit. Nam cui magistratus publice defertur, eidem pecunia assignatur, qua quae opus sint, exequatur. Quod qui negabit, tamen quae Augustus tradere iubetur, cum iis quae optimi rerum auctores narrant, discrepare intelliget, ut, dum ipsius qui gessit fidem tuetur, reliquis, qui res gestas narrant, magnos errores obiiciat. Illi dictaturam ab eo enixe aegreque victis populi precibus recusatam esse scribunt, hic simplici verbo se eam non recepisse ait, quodque longe gravius est verbum, in eam quam facile repulit, curam transferre iubetur: illi recusatam esse narrant curam annonae, hic receptam nec negligenter administratam a se esse ait. Inde inexplicabilis quaedam dissensio nascitur, quae magna significatio est, coniecturam, qua nascatur, non esse veram.

Equidem universum hoc caput, de quo agimus, in uno anno versari video. Nam uni consules nominantur, M. Marcellus L. Arruntius, ad eosdemque pertinere necesse est, quod de consulatu *tunc* dato imperatorem scripsisse Graecae reliquiae plane testantur, quae etsi lacunosae sunt, tamen non tantum spatium vacuum relinquunt, ut id ad alios consules nominandos sufficiat. Iam illo anno, qui est 22 a. Chr., Dio Cassius (LIV, 1) sic narrat, fuisse in urbe magnam Tiberis inundationem, facta etiam esse quaedam prodigia, quae hominum animos terrerent. Accessisse per Italiam pestilentiam tam vehementem, ut agri non colerentur. Tantorum malorum causam homines eo contulisse, quod Augustum, qui per annos continuos septem usque ad annum 23 a. Chr. consulatum gesserat, illo primum anno eum honorem non gerere viderent. Hinc seditione orta multitudinem ad senatum accurrisse eoque vi subacto, ut Augustum dictatorem diceret, cum fascibus viginti quattuor ad ipsum Augustum accessisse, haec duo precantem, ut et dictaturam acciperet et curam annonae eadem potestate, qua olim Cn. Pompeius usus esset, reciperet. Atque illum quidem hoc quod de cura annonae offerebatur necessario suscepisse ac duoviros ex iis, qui ante quinquennium praetores fuissent, iussisse quotannis frumento dividendo praefici, dictaturam autem pertinaciter recusasse. Haec Dio, cum quo de dictatura et oblata et repulsa consentit Suetonius (Aug. 52), qui sic ait: *Dictaturam magna vi offerente populo genu nixus deiecta ab humeris toga nudo pectore deprecatus est.*\*

\*) Etiam Vellei. II, 89 breviter narrat *Nam dictaturam quam pertinaciter ei deferebat populus, tam constanter repulit*, brevius etiam auct. de vir. ill. 79 *Dictator in perpetuum factus*, et Flor. II, 34 *ob haec tot facta ingentia dictator perpetuus et pater patriae, nimirum appellatus*, quod cum omittat, speciem praebet quasi fuisse eum dieratorem tradat. Sed ut pater patriae non fuit, sed appellatus est, ita dictatura non ad rei veritatem, sed ad nomen oblatum pertinet.



Haec igitur scriptores narrant, quae qui cum iis, quae apud Augustum sunt, comparabit, illa manca atque in brevius coacta esse inveniet. Item illud facile intelliget, quod Graece est *παρηγησάμην* pertinere ad dictaturam. Quam Augustus cum repelleret, instante populo precibus usus est, maiestatemque populi reverens quod alia nulla ratione assequi potuit, id tandem salutem suam agi testando aegre impetravit: quam quidem rem Suetonius tam insignem esse putavit, ut de habitu adeo invidiam repudiantis Augusti traderet. Neque iniuria ipso eum hoc deprecandi verbo, quod apud Suetonium reperitur, usum esse statuemus. Ita perit quod merito cuiusvis maximam dubitationem movet *οὐ παρηγησάμην*, quod, si ad curam annonae referatur, quia ea nec tanta pertinacia ab populo oblata nec tanta vi ab Augusto repudiata est\*), parum videtur esse verum neque omnino imperatoris orationi simplici convenit. Perit item, quod non minus merito displiceat, negatio ab initio sententiae posita, quasi in eo, quod non deprecatus est, praecipuum aliquod momentum fuerit. Verum manca esse diximus quae scriptores tradunt longeque uberem Augusti ipsius quamvis brevem narrationem. Primum enim bis sibi significat datam esse dictaturam et quidem uno anno 22, quo omnes res hoc capite comprehensae acciderunt, et absentem et praesentem, quae qui accurate quemadmodum oportet interpretabitur, prius absentem tum praesentem dictaturam oblatam esse intelliget. Abfuisse autem constat Augustum non extra Italiam. Nam anno 23 consulatus undecimi deponendi causa exierat in Albanum (Dio LIII, 32), sed non multo post in urbem reversus Parthorum legatos in senatum introduxerat (Dio ibid. c. 33). Anno autem 22 in provincias transmarinas profecturus transiit in Siciliam ante comitia consularia (Dio Cass. LIV, 6), Kalendis quidem Septembribus aedem Iovis Tonantis ab eo in urbe dedicatam esse docent Dio (LIV, 4) et kalendarium Amiterninum. Itaque si tamen abfuit, rure per Italiam versatus est. Neque illud a veri similitudine abhorret, quod prius sibi absentem dictaturam oblatam esse significat. Nam quoniam tunc potissimum de consulatu agebatur, quem Augustus pertinaciter recusabat, Romani ab ipso geri cupiebant, probabile est eum, ne quid sibi molestiae exhiberetur, ineunte anno abfuisse, praesertim cum postea, quia longinqua peregrinatio suscipienda erat, multa essent in urbe curanda. Rursus autem bis sibi datam esse dictaturam significat, cum *a populo et a senatu* eam oblatam esse ait. Quae cave editoribus credas valere idem quod *a senatu populoque* esse oblatam. Hoc refertur ad unam rem, illud ad duas, quarum in una omnis potestas apud senatum erat, in altera non modo senatus consultum, verum etiam populiscitum requirebatur, conferendaque quae paulo post in eodem hoc monumento (II, 1) sunt de patriciorum numero aucto *iussu populi et senatus*, in quibus primum legem Saeniam, tum senatus consultum ab lege illa diversum significari constat. Item in dictatura Augusto offerenda semel lex lata erat, quam ex senatus consulto latam populus iusserat, tum senatus consultum factum. Neque enim certe populum pro plebe ac multitudine ab Augusto nominatum esse putabimus, cuius studium ac violentiam ille et iure repressisset nec in indice rerum suarum

\*) Minuit enim Mommsenius singularem vim verbi *παρηγησάμην* reddens Latine *recusavi*. Preces utique significantur, quae in cura annonae nullae adhibitae sunt, sed in eo honore, quem non sine maxima invidia legumque contempione recipere posset.

praedicaret nec denique illo nomine significaret. Veruntamen populi ulla in dictatura danda partes fuisse mirum est. Nam dictatorem ex iure Romano constat dici a consule vel ab eo, qui summum magistratum habeat dicique ex senatusconsulto. Quare si populus aliquid in ea re scivit, de alio quodam genere dictaturae agebatur atque eo, quod a solis consulibus in sex menses iure provocationis circumscriptum dici poterat. Quod genus delatum esse constat primum L. Sullae, cui lege Valeria non modo tempus dictaturae verum etiam potestas amplificata erat, usurpatum etiam in dictatore Caesare, cui praeter solitam ac vulgarem dictaturam etiam perpetua data est. \*) Efficitur, ut dictatura, quam populus Augusto obtulit, fuerit maior quaedam atque amplior, nimirum perpetua illa, quam olim pater eius Caesar gesserat. Quare cum absentia sua cum populo, praesentia cum senatu ab Augusto componatur absentique prius quam praesenti oblatam esse dictaturam dixerimus, universae rei rationem hanc videmus fuisse, ut ineunte anno 22, cum Augustus vitandi hominum studii causa in suburbano versaretur, plebs et Tiberis inundatione et fame perterrita senatum vi obsessum coegerit decernere de dictatura perpetua in Augustum transferenda. Tum consules M. Claudius L. Arruntius ex senatus consulto tulerunt ad populum, isque legem Claudiam Arruntiam studiosissime sanxit. Quo facto plebs arreptis viginti quattuor fascibus ad Augustum accurrit eique summam potestatem rite decretam obtulit, quam ille precibus enixissimis, quales et Suetonius Dioque tradunt et ipse significat, repudiavit. Paulo post cum Augustus annonae causa in urbem accessisset, denuo senatus, quod nimium honorem invisumque perpetui dictatoris nomen spreum esse existimaret, vulgarem illam ac cum more veterum convenientem dictaturam obtulit, quam Augustus, quod omne dictatoris nomen occiso Caesare lege ex civitate sublatum esse sciebat, non minus fortiter repulit. Sic et scriptores verissime tradiderunt et Augustus ipse tamen aliquantum novi adiecit.

Superest, ut re intellecta verba et Graeca suppleamus et Latina, quae prope omnia perierunt, inveniamus. Atque olim quidem, quod III, 5 versu quarto huius capituli fere ineunte extat *ἐξάμην. οὐ παρητησάμην*, credebam editoribus referendum esse ad verbum *δέχεσθαι* levique mutatione adhibita scribendum *οὐκ ἀνα]δεξάμενος παρητησάμην*. Nunc et quidquam mutare poenitet et ubertatem illam dicendi, si dictaturam non receptam se deprecatum esse dicat, ab incredibili huius monumenti simplicitate longe abesse intelligo. Unum illud etiam nunc teneo, quod inter negationem et inter vocabulum antecedens traditur punctum, errore ortum esse eorum, qui descripserunt, qui quod marmoris vitio aliquo extitit, id sculptori tribuerint. Aliter enim, id quod nullo pacto fieri debet, deprecandi verbum ab dictatura dirimeretur. Latet autem in voce illa mutila dictaturae semestris mentio, quae Graece *ἐξάμηνος ἀρχή*, vel si dicendi genus saepius a Graecis, qui de rebus Romanis scripserunt, usurpatum adhibeas, *ἐξαμήνου ἀρχή* appellatur.\*\*) Hinc illa nascitur Graeca interpretatio:

\*) Vide *Studia nostra Romana* p. 224.

\*\*) Nimirum Graeci cum proprio vocabulo, quo dictaturam significarent, carerent, fere Latino ipso usi sunt, imprimis rerum scriptores, quibus id saepius esset commemorandum. At qui Augusti indicem Latine vertit, quia eleganter dicere cupiebat, *ἀντεξούσιον ἀρχήν* appellavit, quod nomen quamvis sit aptissimum, alias legi non memini.



Ἀντεξουσίον μοι ἀρχὴν καὶ ἀπόντι καὶ παρόντι  
 διδομένην ὑπὸ τε τοῦ δήμου καὶ τῆς συνκλήτου  
 Μάρκῳ [Μα]ρκέλλῳ καὶ Λευκίῳ Ἀρρουντίῳ ὑπάτοις  
 καὶ τῆν]ἐξαμήνον παρητησάμην

quae Latine ita reddenda erunt:

Dictatura]m et absent[i et praesenti mihi datam a populo et a senatu M.  
 Marce]llo et] L. Ar[runtio cos. etiam semenstrem deprecatus sum.

Quae deinceps de cura annonae Augusto delata traduntur, longe difficiliora sunt ad explicandum, propterea quod scriptores de ea pauciora narrant. Nam ne illud quidem convenit, receperitne id munus imperator an gerere noluerit. Ac Mommsenius quidem quin gesserit non dubitat nec quidquam annotat, quasi res sit certissima, nos non videri gessisse supra diximus, quod Augustus suo se sumptu annonam adiuvisse gloriatur absurdumque sit eum qui publico munere fungatur, non publica, sed sua pecunia uti, confirmatque eam sententiam Dio Cassius eo qui citatus est loco. Quo cum narret plebem ad imperatorem accurrisse precantem, ut et dictaturam et curam annonae reciperet, illum autem repudiata dictatura hoc alterum necessario recepisse, non hoc dicit, munus ipsum curatoris annonae, quale deferebatur, eum recepisse, sed modo quandam curam annonae tunc gravissimae, quam levare necessitate plebis cogereetur. Nimirum plebs munus offerebat, quale Cn. Pompeius olim habuerat, cui auctore Cicerone lege consulari imperium per totum orbem terrarum datum erat in quinquennium, ut per legatos suos rem frumentariam universam administraret (Dio Cass. XXXIX, 9 ibique interpretes). Hoc munus Augustus repulit, sed extra urbem eo, quod habebat, imperio contentus, in urbe ipsa senatui auctor fuit, ut dividendo frumento *II* viros ex iis, qui ante quinquennium praetores fuissent, crearet. Quae ipsa res, etiamsi nullum aliud testimonium superesset, Augustum curam annonae non gessisse indicaret. Nam si gessisset, per legatos eius, non per curatores a senatu factos frumentum plebi urbanae dividi oportebat. Conveniunt autem cum hac ratione, qua Augustum et munus curatoris repudiasse et annonae tamen diligenter providisse statuimus, interpretationis Graecae reliquiae: in quibus si supplementum ab editoribus inventum, quod ipsum per se displicere docuimus, repellatur, vix fieri poterit, quin vestigia quaedam et repudiati muneris et curae gestae deprehendantur.

De consulatu, quem sibi *tunc* delatum esse ait Augustus, nihil tradunt scriptores: hoc tantum Dio (LIV, 1) narrat, Romanos causam tantorum malorum, quibus anno 22 vexarentur, inde repetisse, quod non tunc etiam ut iis, qui antecesserunt annis consulem haberent Augustum. Quae superstitio si hominum animos occupatos tenebat, facile eos ab Augusto credemus primum postulasse, ut alterum locum consularem statim reciperet, dein cum id non impetrassent, ut in perpetuum consulem se designari pateretur.\*) Nec

\*) Bis hoc loco errasse censet Dionem Cassium Th. Mommsen. p. 13. Primum enim, quod LIV, 1 plebem narret eam ob causam Augusto obtulisse dictaturam, quod eum non haberent consulem. In quo equidem errorem invenio nullum. Superstitio enim hominum, quae novem proximis prioribus annis, cum Augustus Kal. Ian. consulatum inisset eaque re totos annos quasi dis gratos redderet, invaluerat, haec erat, tanta mala sibi accidere, quod Augusto consule ad auspiciandum annum carerent. Ideo, ut consules, qui tunc erant, quasi abrogarent, dictaturam offerebant, cuius alia nulla erat necessitas, si Augustus annonae curam suscepisset. Alterum errorem hunc esse ait Dionis (LIV, 10), quod consularem potestatem datam esse scribat Augusto: id

sine causa *tunc* sibi consulatum datum esse ait; nam et ante anno 23 et post oblatum eum esse probabile est.

Quae cum ita sint, iam haec interpretationis Graecae supplementa nascuntur:

Ἐν τῇ μεγίστῃ

τοῦ σίτου σπά[ν]ει τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἀγορᾶς, ἣν οὐ  
 προσίμενος ὁμ[ω]ς [ἐ]ν [ὀλίγ]αις ἡμέραι[ς] τοῦ παρόντ[ο]ς  
 φόβου καὶ κ[α]ιδι[ν]ον ταῖς ἐμαῖς δαπάναις τὸν δῆμον  
 ἤλευθέρωσα, [ὑ]παίτιαν τέ μοι τότε διδομένην καὶ  
 ἐνιαύσιον κα[ὶ] διὰ βίου οὐκ ἔδεξάμην.

Neque in his quidquam videtur esse dubium praeter unum verbum *προσίμενος*, quo tamen aptius nullum reperi. Latina autem habent aliquam difficultatem etiam cognitissimis Graecis non propter versus paululum inaequales (id enim et saepius in hoc monumento fit et facile potest mutari), sed quod supersunt vs. 34 haec MVNIV. Haec et vix aliter poterunt intelligi nisi de populo universo et recedunt a Graecis, nec cur universitatem populi commemoret video, nisi forte populi multitudinem et urbanam et eam, quae extra urbem in Italia erat, intelligi placet. Videtur tamen Graecorum et Latinorum tantula discrepantia esse ferenda tulitque Mommsenius. Haec igitur Latina fuisse existimo:

In ma-

xima frumenti p]enurif]a curam annonae, qua non admissa tamen pau-  
 cis dieb]us [met]u et pe[ri]c[ulo] praesenti populu]m univ[ersum] meis  
 sumptibus liberavi et] con[sulatum] tunc tam a]nnum [quam] perpetuum  
 mihi datum non accepi.

Diximus de uno capite, quod cum in Latino monumento desit, in Graeco parum integrum extet, rebus diligenter examinatis ita restituimus, ut, cum de paucis verbis dubitari possit, universa sententia penitus perspiciatur. Sequitur alterum caput, cuius intelligendi aliquanto difficilior est ratio. Etenim Latina praeter paucas et incertas litteras perierunt omnia, Graeca longiores habent lacunas, res ipsae denique, de quibus agitur, tam varie traduntur ab scriptoribus, ut neminem, quin recte eas traditas esse negaret, viderim. Quare cum magna undique intelligendi impedimenta videantur obstare, omni diligentia incumbendum erit, ne temere coniciendo efferamur cauteque ingrediendo et res, quales fuisse videantur, quaeramus et eorum, quae Augustus ipse scripsit, sententiam aperiamus. Neque ipsa eius verba, in quibus reperiendis Graecae interpretationis auctoritate uti liceat, expediri posse desperamus.

Atque hoc quidem patet, ab initio interpretationis Graecae, quae Ancyrae superest, nominari tria consulum paria, quibus quae deinceps narrantur, accidisse necesse est. Verum ea cum multa fuerint, quid potissimum Augustus commemoraret, divinando invenire

esse admodum suspectum et vix admittendum. Quod cur suspectum sit, non addit nec Marquardt. in enchirid. antiq. II, 3, 293, ad quem provocat, quidquam eiusmodi habet. Pertinebat autem potestas consularis, quoniam ius unius relationis iam ante acceperat ac iure tribuniciae potestatis omnia prohibere licebat (Dio LIII, 32), ad merum honorem idque ipsum tradit Dio, datum ei hoc esse scribens, ut semper fascibus duodecim uteretur mediusque inter consules sella curuli sederet, nimirum in senatu maxime, cui eum, etiam cum non esset consul, praesse tamen videri cuperent. Cf. infra p. 18.



esset et difficile et lubricum, nisi accederet interpretationis Graecae quod Apolloniae servatum est, fragmentum insigne. Quod etsi non modo parvum est, sed etiam vitiis pluribus laborat quam quae Ancyrae supersunt, tamen aperte haec habet *της τῶν τε νόμων καὶ τῶν τρόπων*, unde de cura legum et morum agi intelligimus. Quae qualis Augusto delata sit si recte perspexerimus, gradus ad eius verba et constituenda et intelligenda fiet.

Habuerat autem hanc morum curam ante Augustum iam dictator Caesar, cuius inter nimios honores, qui meritam ei civium invidiam contraxerint, Suetonius (Caes. 76) recenset *perpetuam dictaturam praefecturamque morum*. Nimirum anno 46 cum Pompeiani in Africa victi essent, senatus Caesari etiam tunc absentem praefecturam morum in tres annos decreverat (Dio Cass. XLIII, 14), post bellum Hispaniense eandem perpetuam detulerat (Dio XLIV, 5).\*) Quae potestas ei hoc munere data sit, nusquam significatur, sed eo pertinuisse, ut solus censurae, qua tunc opus esset, munera obiret, hinc videmus. Primum enim sollemne censurae, quam Ap. Claudius et L. Calpurnius anno 50 gesserant, quinquennium exibat, ut anno 46 ex more maiorum provideri oporteret, quid de censura censoribusque fieret. Neque dubium videtur esse, quin ipsi tres anni, qui primum Caesari dati sunt, ex coniuncto eo quod antea censores habuerant, tempore extiterint. Deinde Dio anno 45 Caesarem cum solum et perpetuum censorem factum esse scribit, quoniam eum nunquam eo nomine usum esse constat, praefecturam morum ad easdem res, quibus censura continebatur, pertinuisse indicat nomenque diversum eam ob causam electum, quod singulos censores et fieri et esse ex vetere religione nefas haberetur. Hac potestate quomodo Caesar usus sit ad multas reipublicae partes emendandas, quae ab eo instituta esse Suetonius narrat, testantur, quomodo ad ipsam censendi rationem mutandam, alio loco exposuimus. Quod autem Suetonius vituperat tamquam nimium, ad perpetuitatem maxime refero, quam usque ad Domitianum nemo imperatorum admisit. Nam neque in nomine offendi poterat nec potestatis quidquam concessum est, nisi quod si uni censoria potestas permitteretur, necesse esset concedi. Ab hac autem potestate, quam dictator Caesar habuit, eam, quam Augustus in rerum suarum indice sibi oblatam esse scribit, longe diversam fuisse patet ex litterarum vestigiis, quae in tabula Apolloniensi superesse diximus, quae non modo morum, sed etiam legum praefecturam commemorari significant.

Verum de hac praefectura imperatoris Augusti aliud videtur ipse tradere, aliud Dio Cassius, diligens imprimis honorum novo imperatori datorum testis, aliud rursus Suetonius, quem etsi in ordine causisque rerum exponendis saepe minus accuratum esse concedamus, in iis tamen, quae ad externos honores imperatoribus habitos pertinent, vix spernere licebit. Quaeritur autem primum, utrum se eum, qui delatus sit, honorem recepisse Augustus dicat an non recepisse: qua in quaestione qui haec verba primus in Germania edidit, mediam quandam viam iniit, ut et ter suscepisse et postea quamvis a senatu populoque rogatum non suscepisse statuat. Quae sententia ut vera possit esse magnopere vereor. Non persequar, quod in superiore capite explicando commemoravi, per totum hunc locum Augustum videri iis quae non receperit enumerandis modestiam suam demonstrasse, sed tribus eum annis hanc, de qua agitur, potestatem suscepisse existimat.

\*) Ea de causa etiam Cicero epist. IX, 5, 5 Caesarem appellat *praefectum moribus*.

Ex iis annis duo priores inter se consequuntur, et quidem ita, ut primi non initium, sed exitus dicatur. Nam M. Vinucius Q. Lucretius consules fuerunt ab Kal. Iul. anni 19 a. Chr., Augustus autem cum a. d. IV Id. Oct. in urbem rediret, quicquid muneris decretum erat, ante suscipere non potuit. Quale igitur illud esse putamus, quod cum exeunte anno 19 suscepisset, anno insequenti denuo decretum esse videatur? Qui ordinarii tunc erant magistratus, qui Kal. Ian. inire solebant, in annum fiebant, reliqua munera in longius temporis spatium deferebantur, Augusto quidem in triennium, in quinquennium, in perpetuum. Quare quicquid ei anno 19 exeunte delatum est, id in annum 18 et ultra valuit. Deinde cur Augustus eum, quem ter gesserat, honorem quartum noluit gerere? Etenim non modestiae, sed superbiae erat, quod ter recepisset, id rursus offerente populo Romano contemnere. Nec consulatus, quem post undecimum ultra gerere noluit, hoc in genere debet afferri, quem quam ipse diversum existimarit, vel hinc intelligimus, quod delatum sibi esse saepius atque a se contemptum in rerum suarum indice non commemoravit. Tum quae in exitu huius capitis reliqua sunt, Augustum tribunicia potestate contentum fuisse praedicant, qua si tunc quae opus erant perfici potuerunt, cur non potuerunt antea? Atque in his superest particula *τότε*, quae nisi ad tres illos annos, quorum consulatus nominati sunt, referatur, quo omnino pertineat, non habet. Quae cum ita sint, de toto hoc capite quae extant, nisi Augustum quod tribus illis annis oblatum sit non recepisse statuamus, recte intelligi non poterunt. Efficitur, ut praefectura legum et morum Augusto frustra a senatu populoque Romano oblata sit.

At id pugnare videatur cum Suetonii auctoritate, qui *recepit*, inquit, *et morum legumque regimen aequè perpetuum* (Suet. Aug. 27) ac tribunicia potestas fuit, id quod reprehendere debeas, etiamsi ter Augustum praefecturam illa suscepisse, tum repudiasse viro doctissimo credas.\*) Nec minus videatur pugnare cum Dione Cassio. Is enim anno 19 a. Chr. cum absente Augusto comitiis consularibus magna in urbe seditio orta esset, unum creatum esse ait consulem C. Sentium: qui quia res ipse componere non auderet, legatos esse ad imperatorem missos. Eum consules fecisse Kal. Iul. Q. Lucretium M. Vinucium, tum Romam reversum cum multa in rebus publicis mutanda esse videret, curam morum in quinquennium recepisse (Dio LIV, 10). Idemque Dio (LIV, 30) anno 12 a. Chr., qui annus ab Augusto in rerum suarum indice non commemoratur, eum scribit curatorem et correctorem morum in alterum quinquennium creatum esse; consuevisse enim eum, sicut imperium ipsum, ita hanc curam in certa temporis spatia recipere. Uterque igitur Augustum scribit eam, quae offerretur, morum curam recepisse, Augustus ipse negat. Nec vero alteruter errare potuit. Nam imperatorem quis in ea re modestiam suam celebrasse apud aequales suos credat, quam omnes falsam esse scirent? Suetonius autem et Dio invicem veritatem suam confirmant, quorum alterutrum si improbes, alter eiusdem rei testis supererit. Nam

\*) Omnino enim Th. Mommsenius in commentario p. 14 sq. mirum est, cum Augustum praefecturam legum et morum ter statuat admisisse, tum constanter repudiasse, quot quantosque errores scriptoribus tribuat. Primum enim, quae de hoc officio acceperimus, nec multa esse ait et magnopere perturbata (p. 14). Deinde (p. 15) et Dionem et Suetonium ab Augusto ipso refelli putat, tum Dionem errasse opinatur in causa, cur Caesar praefectus morum creatus sit, tum de gravissimo Suetonii errore dicit, tum quae apud Dionem de censuris tradantur, admodum confusa esse ait. Sexiens igitur vel etiam saepius graviter ab scriptoribus peccatum esse censet, ut mirer tamen eum iis, quae tradunt, usum omnino esse.



quod ipsi inter se videntur dissentire, facillime conciliantur. Suetonius perpetuum morum regimen appellat, Dio Augusti in hoc honore eandem consuetudinem fuisse ait, quae fuerit in imperio suscipiendo, ut eum in certum tempus susciperet, significatque, quamvis in quinquennium decretus sit, tamen, quia in alterum et tertium et quartum deinceps quinquennium decerneretur, fuisse perpetuum. Iam primum ei praefecturae morum quinquennium delatum esse scribit anno 19 a. Chr. exeunte: erat igitur proprie paulo plus quam quinque annorum comprehensoque eo, quod de ipso illo anno quo deferebatur reliquum erat, pertinebat ad Kal. Ian. anni 13 a. Chr. Dio autem alterum quinquennium anno demum 12 delatum esse ait. Sequitur, ut anno 13 Augustus non fuerit praefectus moribus, eam opinor ob causam, quod tunc illa sibi potestate non opus esse existimaret nec merum honorem sine necessitate cumulare vellet. Sed postquam anno 12 alterum huius praefecturae quinquennium suscepit, quia Suetonius eum perpetuo gessisse ait, non amplius videtur deposuisse, sed quotiens exiret, repetisse. Efficitur, ut post annum 12 quater certe hanc praefecturam repetiverit omninoque eius quinque quinquennia gesserit. Quare ex ea quae inter Suetonium et inter Dionem esse videbatur dissensione, qualis decernendae morum praefecturae ratio fuerit discimus, minus recte alterutrum tradidisse non intelligimus.

Verum ut alteram, quae inter scriptores et inter Augustum ipsum est, dissensionem tollamus, nihil relinquetur, nisi ut de alia re illos, de alia hunc dicere statuamus. Ac Dio quidem morum tantum curam Augusto permissam esse scribit, sed Suetonius legum regimen addit, ut et mores et leges permissa esse certum sit, atque utrumque pariter complectuntur poetae, qui hanc Augusti curam eximia laude celebrare solent, velut Horatius (epist. II, 1, 2) *Res Italas — moribus ornes, legibus emendes*; carm. IV, 5, 22 *mos et lex maculosum edomuit nefas*, et Ovidius Met. XV, 833 *legesque feret iustissimus auctor exemploque suo mores reget*; Trist. II, 233 *te — et legum lassat tutela tuarum et morum*. Hinc ea, quae Augusto deferretur, cura leges comprehensas ipsoque titulo curae nominatas esse constat. Nec nomen curae proprie verum est. Nam Dio cum uno loco curatorem eum factum esse scribat, altero addit correctorem, Suetonius regimen appellat ac simile aliquod nomen poetarum verba quae diximus, significant. Unde correctorem potius quam curatorem legum et morum Augustum dici oportere censeo. Verum inter hanc, quam Augustus recepit, praefecturam morum legumque et inter eam, quam se repudiasset ipse ait, quid tandem interesse dicamus? In nomine quidem vix quidquam quod intersit reperias, in potestate aliquid interesse significant interpretationis Graecae reliquiae. In quibus quod superest *γίστη*, non potest aliter suppleri ac supplerunt editores scribentes *σὺν τῇ μεγίστῃ ἐξουσίᾳ*. Quae maxima potestas cuiusmodi fuisse videatur, paulo post viderimus: nunc prius de restituendis et Graecis et Latinis agemus.

Ac primi quidem quattuor versus monumenti Ancyranum Graeci vix ullam habent dubitationem. Explentur enim consulatibus et commemoratione senatus et populi Romani. Sed quinto versu quid de senatu et populo narretur quaeritur, nec decerni potest nisi versu septimo intellecto. Hoc enim quod in monumento Ancyrano est *σὺν τῷ* et quod in Apolloniensi *χειροτονηθῶν* pertinere patet ad comitia populi, cuius suffragiis Augustus

curator morum factus est, eodemque verbo de eadem re Dio Cassius utitur. \*) De quo verbo cum dubitari nequeat, vitium tamen in eius forma inest, quoniam neutram, quae tradita est, ferre licet. Accedit, quod cum Augustum praefecturam morum non recepisse intellexerimus, iam hoc, quod se non recepisse gloriatur, significari oportet: quod ita rectissime significari censeo, ut haec cum iis quae insequuntur, in unam sententiam coniungantur participioque usus se, quamvis rite comitorum suffragiis creatum tamen dicat nihil quod nimium esse videretur recepisse. Qua in re recedo equidem a duabus litteris, quae traditae sunt, *ΩΙ* vel *ΩΝ*, sed si quidquam effici velis recedendum esse constat ipsaque quae inter Ancyranum et Apolloniense exemplum est discrepantia has litteras lectu difficiles fuisse indicat. Sententia autem ratione nostra efficitur aptissima. Nam si quamvis creatum se praefectum morum nihil dicat nimium recepisse, ex iis quae deferrentur se quod nimium videretur repudiasse quodque necesse esset solum admisisse significabit. Ita nimirum res se habebat. Nam et praefecturam morum talem qualis deferebatur, repulit et tamen eiusdem nominis munus recepit. Veruntamen, cum creatum se esse Augustus dicat, quid senatus et populi mentio indicat? Hoc ipsum, opinor, quod iam intelleximus, magnam aliquam et insolitam ei potestatem esse delatam, ad quam constituendam lege opus esset, de qua primum in senatu decretum est, tum latum ad populum: qua lege perlata deinceps Augustus suffragiis populi creatus est. Similis olim lex lata erat Valeria de dictatore cum maxima potestate dicendo, cum dictus est L. Sulla, paulum diversa anno 52 a. Chr., cum Cn. Pompeio nominatim consulatus sine collega delatus est. Quo exemplo cum Augustus noluerit sibi nominatim maximam potestatem dari, quam fuerit in honoribus recipiendis cautus veteremque reipublicae morem servavit, videmus. Itaque consensum senatus et populi Romani significandum esse credo editoribus: qui cum explerint *Ρωμαίων* ὁ[μολογούντων, ipse malo *Ρωμαίων* ὁ[μογνωμονούντων. Nam sic spatium versus commode expletur, praesertim si Augustum non curatorem sed correctorem (*ἐπανορθωτής*) creatum esse statuas, quod nomen et paulo augustius videtur esse et ad necessitatem, quae tunc erat, significandam aptius et a Dione (LIV, 10) in hac re adhibetur. Nec quod in monumento Ancyrano ita hic versus paulo pauciores habet litteras quam quidam alii huius loci, nimirum 32 tantum, me movet. Nam et totidem habet quot is qui antecedit, totidem, quot alii de quibus prorsus constat, plures adeo quam versus septimus et subvenit exemplum Apolloniense, quod cum versuum initia perierint, longe certiore litterarum quae desint numerationem patiat. In quo si ea, quae commendamus supplementa admittas, totidem litterae reperiantur perisse, quot in reliquis de quorum lectione constat versibus. Superest denique octavo versu lacuna, quam sic expleo *παρὰ τὰ πάτρια ἦθη*. His verbis litterae quae reliquae esse tradantur, respondent praeter unam *P*, quae et incertior esse dicitur et fortasse loco suo mota est. Spatium autem, quod vacuum est, ita commode expleri exempla et Ancyranum et Apolloniense certissime testantur.

Sic haec nascitur interpretatio Graeca, quam ex Ancyrani monumenti ordine descriptam exhibeo:

\*) Dio Cass. LIV, 10 ἐπιμελητὴς τε τῶν τρώπων ἐς πέντε ἔτη παρακληθεὶς διεμεροτομήθη.



Ἑπάτοις Μάρκῳ Οὐίνουκίῳ καὶ Κοίντῳ [Λουκ]ρ[η]τ[ί]ῳ  
καὶ μετὰ τα[ῦ]τα Π[ο]π[λί]ῳ καὶ [Γ]ναίῳ Α[έ]ν[τ]λοῖς καὶ  
τρίτῳ Πανύλλῳ Φ[α]βίῳ Μαξιμῳ καὶ Κοίντῳ Του-  
βέρῳ τῆς [συ]νκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν  
Ῥωμαίων ὁ[μο]γνωμονοῦντων [ἐ]πανορθῶ[σ]τῆς  
τῶν τε νόμων [καὶ] τῶν τρόπων σὺν τῇ με[γ]ίστῃ  
ἐξουσίᾳ χειροτονηθεῖς ἀρχὴν οὐδε-  
μ[ί]αν παρὰ τὰ πά[ρ]τια ἤθ[η] διδομένην ἀνεθε-  
ξάμην, ἃ [δ]ὲ τότε δι' ἐμοῦ ἢ συνκλήτος οὐ-  
κον[ο]μεῖσθαι ἐβ[ού]λετο τῆς δημοκρατικῆς ἐξου-  
σίας ὧν ἐτέ[λε]σα καὶ ταύτης αὐτῆς τῆς ἀρχῆς  
συν[ά]ρχοντα [αὐ]τὸς ἀπὸ τῆς συνκλήτου π[ε]ν-  
τάκις αἰτήσας [ἔ]λαβον.

Latina autem, quorum paucae tantum litterae quae legi possint in primo versu supersunt, sic fere se habebunt:

Consulibus M. Vinucio et Q. Lucretio et postea P.] et Cn. L[entulis  
et tertium Paulo Fabio Maximo et Q. Tuberone senatu populoque  
Romano consentientibus corrector legum et morum cum maxima pote-  
state creatus nullam potestatem contra patrios mores datam recepi  
quaeque senatus tunc per me administrari volebat, tribunicia po-  
testate praeditus perfecti eiusque ipsius potestatis collegam ipse cum  
ab senatu quinquens petissem accepi,

in quibus etsi omnia verba versuumque descriptionem praestare non possumus, sententiam tamen satis recte videmur tenere.

Restat, ut, quae Augustus de se praedicat, illustrentur, quae duplex erit nostra disputatio, primum ut de tribunicia potestate, deinde ut de ipsa illa potestate, quam imperator repudiavit, dicamus. Tribuniciae autem potestatis quinquies Augustus ait ab senatu se accepisse collegam. Nimirum bis eam M. Agrippae concessit, primum anno 18 a. Chr. (Dio Cass. LIV, 12), dein 13 a. Chr. (Dio LIV, 28), utroque tempore in quinquennium, ter Tiberio, qui postea imperavit, primum anno 6 a. Chr. in quinquennium (Dio LV, 9; Suet. Tib. 9), dein 4 p. Chr. in decem annos (Dio LV, 13), tum 13 p. Chr. rursus in decem annos (Dio LVI, 28). Quo quidem loco levis quaedam cum Suetonio exoritur dissensio (Aug. 27), qui tribuniciae potestatis semel atque iterum per singula lustra collegam sibi cooptasse ait. Qui quod bis dicit, nimirum ad Agrippam et Tiberium pertinet, quod lustra nominat, et ab Dione et ab Augusto videtur recedere, quorum ille Tiberio bis decem annos datos esse, hic ter eum cooptatum ait. Nec corrigendo Suetonio proficitur.\* Nam idem alio loco (Tib. 16) anno 4 p. Chr. Tiberio quinquennium tribuniciae potestatis datum esse scribit. Qua in re cave erroris eum accuses. Cum enim et

\*) Hoc putabat Mommsenius comment. p. 17, qui lacunam esse statuit apud Suetonium eamque sic explet: *semel atque iterum per singula lustra collegam (M. Agrippam, Tiberium ter per singula lustra collegam) sibi cooptavit.* In quo nec remedium lacunae probari debet nec ipsa supplementa.

vetus apud Romanos mos esset quinquenniorum et Augustus ipse quasdam potestates per quinquennia repetere soleret et denique M. Agrippa ac Tiberius tribuniciam potestatem in quinquennium acceperunt, sic videtur factum esse anno 4 p. Chr., ut Augustus Tiberio tribuniciam potestatem in duo lustra peteret, idque spatium anno 13 p. Chr. definiret. Ita et Augustus recte tradidit, ter se petisse Tiberio, et Dio, petisse bis in decennium, et Suetonius in singula lustra collegas esse cooptatos. Peracto enim priore lustro alterum sine senatus consulto illud quidem, sed cum sollemnitate tamen quadam sequebatur.

Quamquam haec levis est discrepantia auctorum nec difficile tollitur. Illa vero magna est quaestio, quae fuerit illa maxima potestas, quam ter sibi ex lege rite lata datam Augustus recipere noluerit, quam tribunicia potestate se supplesse gloriatur. De qua re nihil plane apud Dionem Cassium invenias, hoc tantum narrantem (LIV, 10), Augusto ex Asia revertenti multa ac varia decreta esse a senatu populoque Romano, sed nihil admissum praeter aram Fortunae Reduci dedicandam. Inter haec igitur, quae tunc decreta sunt, fuit maxima potestas praefecturae legum et morum adiecta. Quae quidem non reperio qua in re inesse potuerit nisi in iure legum sine senatusconsulto et sine plebiscito dandarum. Hoc iure Augustum postea caruisse constat, qui quas res mutare cupiebat, de iis solita ratione leges ad populum tulit, indicatque ipse ille quem supra (p. 13) citavimus Ovidius, qui tulisse eum leges ait, in quo verbo significatio senatus populi inest. Nec tamen minus constat eam potestatem olim L. Sullae esse traditam, cui lex Valeria, qua dictator constitutus est, hoc dedit, ut de maximis rebus quicquid liberet, ipse sine senatu populoque in perpetuum posset statuere: qua potestate ille cum modice usus esset, ea nomine dictaturae e civitate sublato item sublata esse videbatur ac cum more patrio pugnare. Voluisse autem Romanos Augusto tantam potestatem deferre, quod Dio Cassius ipso illo anno 19 a. Chr. accidisse narrat, testatur. Nam postquam Augustus regimen legum et morum in quinquennium recepit, Dio ait Romanos ab eo petisse, ut quicquid in legibus et moribus vitiosum esset, suo arbitratu emendaret, legesque, quas condidisset Augustus appellasse ac iusiurandum obtulisse, se eas perpetuo esse servaturos. At Augustus, cum ea quibus opus erat, recepisset, iusiurandum remisit, quippe quod ad civitatis statum componendum inutile esse intelligeret. Nec nomen legum Augustarum admisit, nam id postea non invenitur: quare ipsam tantum praefecturam morum sine ulla maiore potestate recepit. Cave autem, quod tunc Romani offerebant, ad ipsam illam de qua disputamus maximam potestatem referas. Etenim si ea tunc vel primum vel iterum Augusto esset oblata atque ab Dione significaretur, cur iureiurando opus esset, non intelligeretur. Siquidem legum dandarum iure ad Augustum translato efficiebatur, ut Romani iis quas dedisset legibus, necessario parerent. Itaque hunc potius ordinem rerum fuisse videmus. Primum Romani maximam potestatem Augusto dederunt, ut, quicquid placeret, pro lege constituere posset: ea potestate repudiata ille solitam, quae cum more patrio conveniret, praefecturam morum recepit. Quae tamen ut tantundem valeret, quantum deferre voluerant, sponte sua iurarunt, se quicquid iussisset, servaturos: ita si qui contra deliquissent, non iam poenam legum, quas violassent, erant subituri, sed maiestate imperatoris laesa longe severiorem poenam daturi. Id ipsum cum provideret Augustus remque deduci ad vim, iusiurandum non accepit. Ex ipsa tamen hac religione, quam



Romani de legibus Augusti servandis erant instituturi, quid tunc omnino egerint quidque antea Augusto obtulerint, intelligitur.

Veruntamen quid tandem est illud, quod Augustus se gloriatur ea, quae tunc senatus ab se administrari cuperet, tribunicia potestate contentum perfecisse? Nimirum cupiebat senatus leges emendari, emendavit igitur Augustus iure tribuniciae potestatis dudum acceptae. Huc pertinent ea, quae olim in studiis Romanis p. 259 de origine tribuniciae potestatis imperatoribus datae disputavimus. Quae cum scripserimus antequam monumenti Ancyrani haec pars Graeca innotuit, quae tamen tunc invenimus, mire cum his, quae ex ipsius Augusti verbis efficiuntur, congruunt. Nam cum Augustus antea alias partes tribuniciae potestatis, quibus sanctitas corporis et ius intercedendi atque impediendi plenissimum continebatur, accepisset, anno 23 a. Chr. eas partes accepit, quibus, quicquid vellet, in senatu agere atque in republica instituere liceret. Sublata maxime est reliquorum tribunorum plebis adversus imperatorem tribunicia potestate ornatum potestas, qui ut reliquis tribunis plebis intercedere poterant, ita imperatorem, si qua de re in senatu referret, impedire non debebant. Quare Augustus, si quid vitii vel in legibus vel in moribus animadverteret, id non modo continuo impedire poterat, verum etiam in senatu novam ipse legem ferre, quae deinde a populo sanciretur. Itaque maxima illa potestas, quae cum praefectura morum offerebatur, non opus erat. Quam si recepisset, quicquid iussisset, continuo legis locum erat habiturum, cum non recepisset, longiore illa quidem, sed tamen tutiore atque ea, quae cum more Romano conveniret, via ad populum ferendi uti poterat.

Illustravimus fere Augusti verba, sed de ipsa, quam repudiatam ab se esse ait, potestate supersunt, quae dubitationem nonnullam movere videantur. Etenim Suetonius eo, qui citatus est, loco postquam morum legumque regimen perpetuum commemoravit, hoc iure, inquit, quamquam sine censurae honore, censum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus. Id cum Dione Cassio (LIV, 10) pugnare videatur, qui anno 19 a. Chr. Augusto curam morum legumque in quinquennium esse traditam ita narret, quasi tunc primum haec cura delata sit. Quod si ita esset, census illos, qui anno 8 a. Chr. et 14 p. Chr. habiti sunt, intelligeremus, at primum, qui anno 28 a. Chr. factus est, quo iure susceptus esset, nesciremus. Neque certe adhibere hoc loco debemus, quae Augustus ipse de censibus lustrisque ab se factis narrat, quae longe alio ex genere sunt. Nam (II, 2) *in consulatu sexto*, inquit, *censum populi conlega M. Agrippa egit, tum alterum consulari cum imperio lustrum solus feci, denique tertium consulari cum imperio lustrum conlega Tib. Caesare filio meo feci*. Ex quibus cave colligas, Augustum vel consulatu vel imperio consulari solo usum esse, ut censum ageret lustrumque faceret. Quam opinionem ipsa verba refellunt. Nam cum lustrum se cum consulari imperio, censum in consulatu fecisse dicat, non iure consulari se ad censum faciendum usum esse significat, sed tantum imperium consulare ad eam quam haberet census faciendi potestatem accessisse. Nimirum antiquissimis temporibus post exactos reges consules censum lustrumque fecerant, sed ita, ut iis censendi potestas deferretur, quam cum imperio consulari coniungerent. Postquam autem censores instituti sunt, ut consulare imperium censendi potestati adderetur, lex centuriata proprie ferri solebat (Cic. de leg. agr. II, 11, 26).

Quare Augustum, qui ipso censurae honore abstineret, ad censendi potestatem a senatu delatam addere oportebat imperium consulare, quod veteribus consoribus proprie olim deferri consuerat. Eam ob causam religiose Augustus ut omnia rite se administrasse significet, et consulatum sextum et imperium consulare commemorat.

Hoc quidem planissime apparet, non pugnare Suetonium cum Augusto: de alia re dicit ille, de alia hic.\*) Ille ius ipsum, quo ornatus census egerit, hic externam quasi speciem, quae ad ius accesserit, commemorat. Atque duos extremos census ab Augusto iure eo, quod in morum legumque praefectura esset, actos esse ex iis ipsis, quae de illa praefectura anno 19 a. Chr. delata ac deinceps quamdiu vixit retenta disputavimus, intelligitur; sed quod primum census eodem iure factum esse Suetonius ait, novum est atque eiusmodi, quod cum reliquorum scriptorum auctoritate pugnare videatur. Neminem tamen equidem invenio, qui de primo censu aliter tradat; in fastis tantum illis, qui de coniectura admodum incerta nunc Venusini a multis appellantur, Augustus et M. Agrippa hunc census censoria potestate fecisse narrantur. Dio quidem tacet, qui ubi de censu, qui anno 28 a. Chr. coeptus est, tradit, nec praefecturam morum nec ullam aliam censoriam potestatem Augusto delatam commemorat. Ait enim (LII, 43): Tum census suscepto (*τιμητέυσα*) cum M. Agrippa cum alia quaedam emendavit tum senatum legit. Iam censorem numquam Augustum fuisse constat nec iure consulatus, quem tunc gerebat, aut senatum legere aut alia, quae ad census pertinerent, agere licebat. Necesse igitur est aliam aliquam census agendi potestatem, quam Dio tacet, non modo Augustus ipse acceperit, verum etiam Agrippa, quorum de priore si dubitarem eique cum ipso consulatu vel alio tempore maiorem aliquam potestatem, qua in censendo uteretur, permissam esse putarem, hic tamen nec maiorem consularem potestatem habuit nec omnino tunc quidem supra reliquorum civium aequalitatem evectus erat. Sequitur, ut uterque, et

\*) Itaque Mommsenius in commentario p. 15 parum recte gravissimum errorem Suetonio exprobat, cum ipse erret. Idem p. 23 his, quae Augustus de censibus lustrisque a se factis narrat, ad eam rem utitur, ut falsum esse doceat, quod Dio Cass. LIV, 10 de consulari potestate perpetua Augusto anno 19 a. Chr. data tradit. Duas autem causas affert. Primum enim nihil de ea potestate Augustum ipsum in rerum suarum indice narrare ait: unde si efficeretur, ea caruisse Augustum, item efficeretur, non minus caruisse potestate censoria, caruisse cura legum et morum, caruisse tot aliis honoribus et potestatibus, de quibus non minus tacet. Altera causa est, quod Tiberio, Augusti in tertia censura collegae, quem perpetua potestate consulari caruisse constat, eam in tempus censurae datam esse ait idemque de Augusto statuendum esse. Quod cur statuatur aut statuendum esse putet, non video. Nam, cum tribuniciam potestatem Augustus habuerit perpetuam, reliqui, qui eo imperante acceperunt, in certum tempus datam, similisque sit ratio proconsularis potestatis, quidni consularem potestatem censeamus in imperatore fuisse perpetuam, in Tiberio quamdiu census ageret? De hac autem proconsulari, quae modo commemorata est, potestate etiam alium errorem Dioni Cassio obiicit Mommsenius l. l. Ille enim (LV, 13) ab Augusto anno 4 p. Chr. census actum esse scribit eorum, qui intra Italiam non minus ducenta milia Hs. haberent, eique censui, ne tamquam censor agere videretur, non modo ipsi, verum etiam lustrationi, quam adiceret, proconsularis potestatis titulum ascripsisse. Hoc pugnare ait Mommsenius cum monumento Ancyrano, in quo lustrum se fecisse Augustus scribat consulem vel consulari imperio ornatum. At pugnat minime. Nam census, qui proprie vocatur, illum fuisse negat ipse Dio nec lustrum dicitur illud quod absoluto censui imponi solet; sed recensio illa ob alias causas instituta, quia cum sacris quibusdam peracta est, minus proprie lustrum appellatur. Proconsulare autem imperium Augustus usurpaverat, quia maxime id agebat, ut Italiam quique in ea essent locupletissimi, vectigalium instituendorum causa cognosceret. Omnes hos errores Mommsenius Dioni exprobravit, quod censuum lustrorumque, quae Augustus fecit, minus ipse rationem intellexerat.



Augustus et Agrippa tunc aliquam, qua censendi ius contineretur, potestatem acceperit, quam Dio Cassius commemorare neglexit, optioque relinquitur, utrum de censoria potestate, quae in illis fastis, an de praefectura morum et legum, quae apud Suetonium commemoratur, cogitare malimus.

Sed utra rectius intelligatur, difficile est dictu. Nam censoriam potestatem si praeferas, non modo Suetonii auctoritatem violes, verum ipsam etiam probabilitatem. Censoria enim potestas num tunc iam deferri potuerit, magnopere dubitandum est quodque Dio Cassius LIV, 10 de censoria potestate anno 19 in quinquennium permissa narrat, ita interpretandum est, ut eam tunc primum et inventam et delatam esse statuamus. Certe et consularis potestas et proconsularis aliquanto post annum 28, quo primus census actus est, inventae esse dicuntur: ipsa etiam tribunicia, etsi partes quasdam eius et dictator Caesar habuerat et Augustus ante pugnam Actiacam acceperat, tunc nondum in eam amplitudinem, quam postea habuit, coaluerat. Quare si censoria Augustum in primo censu usum esse statueremus, a iusto ordine, quo imperatorum potestas paulatim confecta est, desciscere videremur. Accedunt duae causae, quae censoriae potestati adversentur. Nam etiamsi iure praefecti morum Augustus usus est, tamen cur fasti illi censoriam potestatem appellarint, intelligas. Brevis haec erat rei nec incommoda significatio, praesertim cum inventa ea, quae postea proprie appellata est, censoria potestate quid inter hanc et inter ius praefecturae interesset, nondum pateret. Inerat certe in hoc iure quaedam census agendi potestas. At Suetonius utramque norat, praefecturam ad ipsum quasi censum, potestatem censoriam ad externa censorum insignia pertinere sciebat, nomine decipi non poterat. Deinde censum non Augustus solus egit, sed collega eius fuit M. Agrippa, cui censoriam potestatem datam esse parum est simile veri. Cuius ius si maxime extollemus, non maius fuisse putabimus quam fuit Tiberii anno 13 p. Chr., cum tertium Augustus censum egit. Tunc autem lege consulari ei datum esse scimus (Suet. Tib. 21), ut censum simul ageret, i. e. non ut censoria potestate aut iure illo, quod cura morum continebatur, uteretur, sed ut patrem in censu agendo adiuvaret. Quo tempore iure praefecturae Augustum ipsum usum esse facile Suetonio credemus: in qua si collegam vel adiutorem Tiberium accepit, parem olim similemve et locum et dignitatem Agrippae concessam esse statuemus.

Quae cum ita sint, verissimum esse censeo, quod Suetonius de praefectura morum et legum iam anno 29 a. Chr. imperatori concessa tradit. Notum iam id munus in republica erat ex tempore dictatoris Caesaris, cui id in triennium delatum esse diximus, nec cum Augustus deposita IIIviri potestate rempublicam componendam suscepisset, quidquam magis erat in promptu. Sed hoc tunc additum, ut collega adderetur, minor ille quidem, sed collega tamen, qui cum praefecto sive curatori cederet, reliquos cives et dignitate et iure superaret. Quot annorum haec prima morum praefectura fuerit, nescitur; trium suspicor fuisse, quot fuerat in Caesare, sufficebatque id spatium ad praesentem necessitatem. Nam compositis interim utcumque domesticis rebus Augustus in provincias abiit, quibus munitis atque ordinatis postquam anno 19 a. Chr. in urbem revertit, quoniam ad domesticam quietem stabiliendam novis ac fortioribus remediis opus erat, primum summa illa morum et legum cura, qua legum dandarum potestas continebatur, oblata est. Quam

ubi ille invidiae evitandae causa spreuit, curam eandem, qua antea in primo censu usus erat, in quinquennium recepit addendisque aliis quinquenniis effecit, ut perpetuam teneret. Quam curam ne ab prima illa diversam fuisse existimemus, hoc accedit, quod tunc non minus quam antea M. Agrippam quasi quendam collegam ad census agendos videtur habuisse. Nam anno 18 a. Chr. quam Dio LIV, 13 narrat severissimam senatus lectionem ab eo esse habitam, eam Suetonius (Aug. 35) non modo ipsi, sed etiam M. Agrippae tribuit, quem aliqua censoria potestate ornatum ei rei operam dedisse non immerito suspicamur. Qui postquam anno 12 a. Chr. decessit, necessario factum est, ut anno 8 lustrum alterum solus celebraret: tertii demum lustri, quod in summa senectute faciebat, collegam rursus sumpsit Tiberium, cui iam universam prope rempublicam communiter administrandam commiserat.

Exposuimus, quae ad Augustum ipsum de honoribus a se spreitis narrantem pertinent: in quibus et ipsum nonnulla, quae aliunde ignorentur, narrare et reliquos scriptores non minus vere tradere docuimus. Quos si quis erroris arguat, maximas res, quae imperante Augusto acciderunt, parum intelligat nec ipsum Augustum satis perspiciat. Neque hercle imperii Romani initia tot aut scriptorum aut monumentorum testimoniis illustrantur, ut impune optimos auctores contemnere debeamus: quos si diligenter et quid et quomodo quidque dixerint examinarimus, tum demum ad aliquam eorum, quae gesta sunt, cognitionem pervenimus. Quam quidem rem si id nunc ageremus, multis exemplis liceret ostendere atque imprimis quae Augustus de censibus lustrisque a se factis narrat, longe accuratioris indigent explicationis. De quibus, ne quis temere nos iudicare existimet, unum certe hoc loco commemorabimus, quod quamvis leve esse videatur, tamen quanta diligentia in hoc genere utendum sit ac quam facile erretur, demonstrat.

Etenim quo loco Augustus de censibus lustrisque a se factis scribit, sic ait (II, 1) *Patriciorum numerum auxi consul quintum iussu populi et senatus. Senatum ter legi et in consulatu sexto censum populi conlega M. Agrippa egi.* Sic haec nunc eduntur, sic intelliguntur. Primum de patriciorum numero anno 29 a. Chr. aucto, deinde de senatu ter omnino lecto, denique de tribus lustris a se factis videtur dicere. Sequitur enim de altero et tertio lustro. Ter igitur, quamdiu reipublicae praefuit, senatum se legisse tradit. Id pugnat cum Suetonio (Aug. 35), qui *senatorum*, inquit, *affluentem numerum deformi et incondita turba — ad modum pristinum et splendorem redegit duabus lectionibus, prima ipsorum arbitrato, quo vir virum legit, secunda suo et Agrippae, quo tempore existimatur lorica sub veste munitus ferroque cinctus praesedissee, decem valentissimis senatorii ordinis amicis sellam suam circumstantibus.* Cum enim ab Augusto constet pristinum senatui splendorem esse restitutum, quae duae lectiones commemorantur, omnia, quae eo in genere acta sunt, videntur complecti. Sed magis etiam dissentit Dio Cassius. Is primam senatus lectionem narrat anno 29 a. Chr., cum primus census haberetur (Dio LII, 42), alteram anno 18 a. Chr. (LIV, 13), tertiam anno 13 (LIV, 26), quartam anno 11 a. Chr. (LIV, 35), quintam anno 4 p. Chr. (LV, 13): in quo numero illae lectiones, si quae cum universi populi censu anno 8 a. Chr. et 14 p. Chr. coniunctae erant, praetermittuntur. Quid igitur statuamus? Suetonius bis lectum esse senatum ait, Augustus ipse ter, Dio certe quinques. Quorum auctoritates ut inter se conciliarentur, haec ratio excogitata est, ut alias



senatus lectiones quasi ordinarias fuisse dicerent, alias extraordinarias: illas fuisse cum censibus populi Romani coniunctas, has extra census habitas: illas ex censoria potestate Augusto data, has ex praefectura morum, qua ornatus erat, esse repetendas. Qua quidem in sententia fuimus olim ipsi (comment. p. 47), fuit etiam nuper Mommsenius (p. 21); sed ita inter nos discessimus, ut nos eas lectiones, quae quarto et quinto loco a Dione collocantur, cum populi censibus, qui anno 8 a. Chr. et 13 p. Chr. acti sunt, cohaerere stateremus, ille quas lectiones cum censibus coniunctas fuisse putaret, non significaret, sed pro consuetudine sua primam solam, quae a Dione cum primo censu coniungeretur, dubitatione carere adderet, reliquarum rationem reddi posse negaret. Legitimam tamen eam solam lectionem senatus esse censebat, quae pars esset census populi Romani. Quasi vero eae, quae pro praefectura morum legibus delata fierent senatus lectiones, minus fuerint legitimae quam quae censoria potestate institutae sunt, aut, si quae extra ordinem susciperentur, non longe magis fuerint commemorandae, quam quae more solito factae nihil haberent, cur posteriorum memoriae traderentur. Nam, si in censu populi Romani faciendo senatum etiam legi utique necesse erat, cur senatus lecti mentionem faceret Augustus? Qui si de censibus suis narrabat, omnes Romani iisdem temporibus senatum lectum esse ultro intelligebant. Itaque qui hac interpretandi ratione utebamur, neque ullum optimorum auctorum consensum efficere poteramus et ipsum Augustum minus recte, minus commode narrare iubebamus: ducebamur etiam ad alios errores. Nam posita erat illa sententia in ea, quam omnium virorum doctorum esse videmus, opinione, qui lustrum et censum populi et senatus lectionem et equitum Romanorum recensionem ita inter se copulata fuisse putant, ut numquam divellerentur nec quidquam per se ipsum constaret. Quam opinionem falsam esse cum aliis multis rebus tum ex ipso hoc Augusti rerum suarum indice potest demonstrari.

Veram autem eius de quo agitur loci interpretandi viam Suetonii verba, quae attulimus, ostendunt. Neque enim ille duas omnino per totum Augusti imperium senatus lectiones fuisse ait, sed duabus lectionibus esse effectum, ut senatorum numerus nimius ad veterem paucitatem, ex qua paucitate pristinus splendor pendebat, redigeretur. Sic eum, si verba accurate, ut oportet, interpretere, dixisse intelligas. Tulerat Augustus usque ad annum 18 a. Chr. multitudinem senatorum bellis civilibus ortam, quam ipse prioribus lectionibus paulum imminuerat. Fuerant enim, cum Augustus solus rerum potiretur, supra mille, ex quibus cum anno 29 a. Chr. vix ducentos expunxisset (Dio LII, 42), plus quam octingenti supererant. Quare cum trecentos tantum, si fieri posset (nam ille antiquus numerus erat), habere cuperet, illo anno nova prorsus ratione senatum purgare instituit, non ut praeteriret recitando eos, qui indigni esse viderentur, sed ut, quasi nullus antea fuisset senatus, omnes de integro faceret. Ea duplex fuit lectio, ut primum vir virum legeret, deinde cum fraudes quorundam detectae essent, Augustus et Agrippa suo arbitratu facerent, copioseque ab Dione (LIV, 13) exponitur. Qui quod Agrippam in eo negotio collegam imperatoris fuisse non commemorat, leve est nec pro dissensu accipietur.

In uno igitur tempore versantur, quae Suetonius de senatus lectionibus ab Augusto factis narrat, lectioque ipsa alio quodam modo dicitur. Neque enim modo, si varias rati-

ones, quibus senatus lectus sit, uno vocabulo complecti velis, eam unam lectionem recte appelles, verum etiam ad singula quasi legendi momenta notanda eodem vocabulo uti liceat, fuitque anno 18 a. Chr. et una lectio et duae lectiones. Quare cum duplex sit lectionis significatio, quoniam priore nihil proficitur, quidni altera in Augusti verbis interpretandis utamur eamque ad unum tempus, non ad universum eius imperium pertinere existimemus? Nimirum sic quae dicit intelligenda esse ipse quodammodo significat. Proxime enim ante *patriciorum*, inquit, *numerum auxi consul quintum iussu populi et senatus*. At auxerat iam anno 33 a. Chr. Sic enim narrat Dio (XLIX, 43), quem errasse cave credas Mommsenio. Praetermissis enim iis, quae in IIIviratu gesserat, quae pleraque ipse postea abolevit, non, quae per totum imperium suum, sed quod anno 29 de patriciis statuerat, commemoravit. Quodsi hac ratione in patriciis usus est, eadem eum in senatu, de quo proxime subiungit, uti oportuit meritoque si aliter de illis, aliter de hoc dixisset, vituperaretur. Quare haec quae sunt *senatum ter legi*, ad unum annum pertinent et quidem ad illum 29 a. Chr., quo patricii allecti sunt, quo anno non minus recte tribus senatus lectionibus uti potuit, quam anno 18 a. Chr. duabus eum usum esse exposuimus. Iam subvenit copiosa Dionis (LII, 42) narratio, qui illo anno triplicem legendi senatus rationem susceptam esse non obscure narrat. Primum enim Augustum ait cum mille senatorum numerum minuere cuperet, hortatum esse, ut de se quisque iudicaret, dignusne esset ordine. Ita quinquaginta motos esse, ut sponte sua cederent. Deinde cum centum quadraginta coegisse, ut idem facerent. Infamia neutros esse notatos, i. e. relicta iis ornamenta senatoria, sed prioribus illis quinquaginta hoc praeterea datum, ut silentio praeterirentur: alterorum nomina publice esse proposita. Denique novos senatores esse lectos, quosdam etiam in altiore dignitatis senatoriae locum promotos. Dio igitur unam illam, quae anno 29 a. Chr. habita est, senatus lectionem proprie triplicem fuisse indicat, quod Augustus ipse narrat, planissime confirmans. Idemque illam sive unam sive triplicem lectionem eodem tempore, quo patricii allecti sunt, i. e. eo anno, quo Augustus consul quintum fuit, susceptam esse auctor est.

Quae cum ita sint, nihil iam superest, in quo Dio ab Augusto dissentiat, nihil, in quo Suetonius cum utroque discrepet. Quem consensum qui investigabit, simul hoc praemium feret, ut rem, quam Augustus narravit, qualis fuerit et quo modo gesta sit, non paulo rectius intelligat quam qui erroribus eorum, quibus credi oportebit, statuendis non leviter ipse errabit. Nam si quis quaerat, cur illas solas anni 29 a. Chr. lectiones Augustus commemorare, reliquas silentio praeterire voluerit, longum est explicare, quae quidque de causa vel narrarit vel non narrarit. Illas quidem tres, quae cum censibus populi Romani coniunctae fuerant, senatus lectiones inutile fuisse diximus afferri: quartam maxime insignem, quae anno 18 a. Chr. fuit, de qua quae Suetonius narrat, exposuimus, aegre desideramus, sed invidiam, opinor, severitate sua commemoranda Augustus renovari volebat.

Quamquam veram eorum, quae Augustus de senatu scripsit, interpretationem diu a nobis ignoratam esse quid miremur, cum ne ipsius quidem tempore omnes intellexerint? Certe enim non intellexit Graecus interpret nec Graeci, apud quos monumentum publice propositum erat, potuerunt intelligere. Augustus enim ipse dixit: *patriciorum numerum*



*auxi consul quintum*, tum *et in consulatu sexto census populi conlega M. Agrippa egi*. Patricios igitur allectos esse ait, cum *consul quintum* esset, census actum *in consulatu sexto*. Nimirum patriciorum numerum auxit senatumque legit exitu anni 29 a. Chr., cum consulatu Kal. Oct. abdicato consul tamen quintum rite nominaretur. At census egit anno 28 a. Chr., quo toto consulatum gessit. Ipse igitur verbis diligenter delectis utriusque rei tempus indicavit, Graecus dum utroque loco eadem dicendi ratione usus primum *πέμπτον ὑπατον*, tum *ἕκτον ὑπατον* dicit, temporis significationem corrumpit. Idemque quae Augustus coniunxit, male diremit. Nam particula *et*, quae Latine additur, patricii cum senatus lectione coniunguntur adiciturque census populi: qua omissa ille effecit, ut tres res temporis ratione inter se diversae commemorari viderentur. Quod quidem recentissimus editor particulam illam male in Latina irrepsisse iudicat, id sententia rectius perspecta vix tuebitur. Immo Graecus, quisquis fuit, erravit, quem ne in iis quidem quae supra supplenda esse docuimus, prorsus cum Latinis congruere non mirabimur.

Veruntamen veremur prope, ne, dum praefecturam morum ab Augusto gestam explicare eorumque, quae proposuimus, rationem reddere cupimus, longius evecti ad census, ad lustra, ad alia similia deveniamus. Quae quamvis copiosa sit disputatio, ab hac tamen occasione videtur esse aliena: quo quae pertinent, ea alio loco persecuti sumus, hic iis, quae in nobilissimo monumento supplenda erant, illustrandis contineri maluimus.

Scripseram haec scriptaque dum edendi occasio daretur, servabam, cum universitatis Halensis lectionum aestivarum h. a. index allatus est, in quo Theod. Bergkii spicilegium emendationum in monumento Ancyrano et Latino et Graeco suscipiendarum proponit. Quod spicilegium qui leget, quod supra diximus, virorum doctorum industriam excitandam esse, ut in praestantissimo monumento expoliendo elaborare velint, verissimum esse credit: tot tantaeque res notantur. Nec dubium est, quin Bergkii nonnulla recte emendarit, alia ab Mommsenio minus commode constituta esse docuerit. Sed illud maxime animadverti, leviter admodum a Bergkio attingi rerum enarrationem, ex qua cum apud alios scriptores tum in hoc monumento nude ac simpliciter composito verba pendent. Velut ex duobus locis, qui a nobis illustrati sunt, priorem cum praetermisisset, de altero ita disputavit, ut nec qualis ille de quo ageretur magistratus fuisset nec qualis esse potuisset quaereret: in verbis haesit, quae si quis neglecta rerum memoria supplere velit, varie possunt refingi. Quare fit, ut Mommsenius et nos, quoniam pariter ab rerum cognitione ad verba proficiscimur, quamvis dissentiamus, longe tamen magis consentiamus, quam Bergkii cum utroque nostrum: quem qui sequetur, ad ea, quae Augustus dicere non potuit, perveniet. Etenim sic scribi iubet:

*τῆς συναλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων ὁμολογούντων  
ἢ[ρῆθην ἐπιμελη]τῆς τῶν τε νόμων καὶ τῶν τρο[πων τὴν  
με]γίστην [πα]ραλαβὼν τῶν χειροτονητῶν ἀρχὴν οὐδέ [μοι]  
πά[λιν εἰς πέντε ἔτ]η διδομένην ἀνεδεξάμην.*

Quae vellem Latine vertisset: ferenda non esse intellexisset. Quid enim? Repudiavit curam morum Augustus, idque ipse credit Bergkius, quippe qui quinquennem curam ab eo spretam esse addat. Quomodo igitur dici potest curator morum creatus esse recepto maximo magistratu? Deinde quis est ille magistratus τῶν χειροτονητῶν maximus? Nam de dictatura, cuius antea mentio facta est, cogitari non debet, abhorretque totum illud ab more Romano. Denique illis quae insequuntur quid fieri possit non video, quibus tribunicia potestate ad ea, quae illo anno agenda essent, contentum se fuisse Augustus gloriatur.

Veruntamen haec taliaque controversa sint: illud communiter omnes laetemur, praestantissimum antiquitatis monumentum, quo maximarum rerum memoria continetur, iam ita tradi, ut in eo intelligendo artem nostram tuto exercere liceat.